

TITULUS II.

DE JUDICIIS, ET EORUM DIVISIONE.

1. JUDICIUM QUID? JUDEX ORDINARIUS, ET DELEGATUS.—2. QUIS DELEGATUM JUDICEM CONSTITUAT?—3. CAUSÆ NOTIO, ET MIXTUM IMPERIUM.—4. JURISDICTIO CONTENTIOSA, ET VOLUNTARIA.—5. JUDICIUM ECCLESIASTICUM, ET SÆCULARE.—6. JUDICIUM POSSESSORIUM, ET PETITORIUM.—7. ORDINARIUM, ET SUMMARIUM.—8. CIVILE, ET CRIMINALE.—9. JUDICIORUM ORDO.

1.

JUDICIUM vocamus ipsam causæ disceptationem, quæ in jure fit, quæque constare debet quatuor præsertim rebus, actore, reo, judice, et causa (1). Actor ille est, qui prior in judicium venit aliquid petiturus; reus, qui ab actore in jus vocatur, et à quo petitur; causa est ipsum quod petitur, et quod materiam judicio præbet; judex autem ille est, coram quo disputamus, et cujus decreto res absolvenda, ac definienda est. Hic si jure sui magistratus cognoscendarum, finiendarumque controversiarum habeat potestatem, judex ordinarius, si non propriam, ac suam habeat, sed ab alio mandatam, et commissam, delegatus appellatur. De utroque duo sunt tituli in Decretalibus.

(1) Cap. 40 de Verbor. signific.

2. Mandat hanc potestatem ordinarius judex, qui eam suo jure habet, et mandat utiliter, non omnibus sine delectu, sed illis qui judices dari possunt (1). Qui non propriam, et suam habet jurisdictionem, sed ab alio mandatam, is eam alteri mandare non potest (2); nisi procedat ab ipso Principe, cujus delegatus alterum recte delegat (3).

(1) L. 2 et 4 ff. de offic. ejus cui mandat. jurisd. l. 5 ff. de jurisd. Confer Donellum de jur. civil. l. 17 c. 8. §. 2 et 5 opp. t. 4 col. 4117 et 4128 ed. Luc. 1764.

(2) L. ult. ff. de offic. ejus, cap. 62 de Appellat.

(3) L. 5 cod. de Judic., cap. 28 de offic. et potest. delegat.

3. Præter judicandi potestatem, quam *notionem* dicimus, inest etiam in judice *jurisdictio*, et jus modicæ coercitionis, per quam sui munus officii exsequi, ac tueri possit, atque in eos, qui parere recusant, animadvertat. Modica hæc coercitio *mix-*

tum imperium dicitur (1), quod semper jurisdictioni, sed non semper judicandi potestati cohæret (2). Sunt enim judices, qui solam habent notionem, non item jurisdictionem; et hi tantum rem controversam cognoscunt, atque definiunt, imperium, quo sententiam exequantur, adjunctum non habent, ac proprie non *jus dicere* sed *judicare* dicuntur (3).

(1) Mixtum imperium dicitur, quod jurisdictioni admixtum est, ab eaque separari non potest l. 1 in fin. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd., l. 5 ff. de jurisd. Frustra enim magistratus causam cognosceret, atque aliquid decerneret, si non posset exequi sententiam, suæque jurisdictioni parere recusantes, coercere. Itaque verissime Paulus in l. ult. de offic. ejus cui mand. inquit, sine modica coercitione nullam esse jurisdictionem, quoniam hæc sine illa expediri, atque explicari non potest; et huc spectat Innocentius III in cap. 28 de offic. et potest. delegat. Consule Averanum interpr. jur. l. 1 c. 4 t. 1 p. 25 ed. Lugdun. Batav. 1753, Donellum de jur. civil. l. 17 c. 6 §. 6 opp. t. 4 p. 1088 ed. Luc. et Scipionem Gentilem de jurisd. l. 1 c. 4 et 5 opp. t. 3 p. 7 et seq. ed. Neapol. 1764, Varia autem sunt modicæ coercitionis genera, quæ, præter ceteros, diligenter explicat Scipio Gentilis l. cit. c. 6 seq. p. 11 et seq.

(2) L. 5 ff. de re judic.

(3) L. 4 §. ult. ff. de Interrogat. action., l. 57 ff. de re judic. Consule Averanum l. cit. c. 5, et Scipionem Gentilem de jurisd. l. 1 c. 28 opp. t. 5 p. 82 ed. Neap. 1764.

(N. S. Judex proprie dicitur, qui ita judicat, ut in eo publico munere fungatur. Et sane judicandi munus publicum est: *Leg. 78 Dig. de Judiciis*. Quare Judices omnes dicuntur habere notionem, h. e., facultatem cognoscendi jure publico constitutam: argum. *Leg. 5 Dig. de Re Judic.*—Unde Judicium institutum Supremæ Potestatis prærogativa est; qua tamen diuturna temporis præscriptione nonnulli Locorum domini potiuntur in Hispania, eamque ratam habuerunt Reges nostri *Leg. 13 Tit. 2 Lib. 1 Fori Judic. Leg. 2 Tit. 4 Partit. 3, et Leg. 1 Tit. 1 Lib. 11 Novis. Compilat.* qui si fuerint Ecclesiasticæ Personæ, non ideo possunt Judices Clericos ibidem instituere: *Leg. 10 Tit. 1 Lib. 2 ibid.* Nunc locorum domini non possunt Judices constituere: Decreto 20 Jan. 1857; Constitut. 1845 art. 71.—Improprie Judices dicuntur Arbitri, qui ex consensu litigatorum, et compromisso eliguntur: *Leg. 25 Tit. 1 Lib. 2 Fori Judic. et Leg. 1, et 25 Tit. 4 Partit. 5. Profecto privatorum consensus Judicem non facit; Leg. 5 Cod. de Jurisd. omni. Judic.* Adpellantur tamen Judices propter adfinitatem, quam cum veris Judicibus habent, eo quod partibus Judicis fungantur, et Arbitria ad judiciorum similitudinem redacta sint: *Leg. 14 Cod. de Judiciis*. Horum porro duo sunt genera: *Arbitrorum*, ii scilicet, qui ab utraque litigantium parte ea conditione eliguntur, ut servata omnino Judiciorum forma procedant; et *Arbitratorum*, hi nimirum, qui ad componendas christiano more, et Evangelicæ charitatis regulis, lites, ex utriusque quoque partis consensu deputantur: *Leg. 53 Tit. 4 Partit. 3.*—V. Cl. Auct. hujus lib. tit. 17.

Judicis nomen aliquando generatim usurpatur: scilicet ut omnes complectatur, qui cognoscendi, et judicandi potestatem habent, sive illam jure Magistratus, aut vi alicujus jurisdictionis exercent: *Leg. 1 Dig. de Judic.*

tot. Tit. Cod. de Jurisd. omn. Judic. et Leg. 1 Tit. 4 Part. 5; sive jure nudæ notionis, uti in Jure Civili Judices pedanei, in Jure vero Canonico Judices delegati. Atque hinc patet quidnam discriminis statuendum inter Judicem Ordinarium, et Delegatum. Videsis *præf. Leg. 1.*

Porro Judices Ordinarii proprie, ac primario sunt soli Episcopi, quibus veluti *essentialiter* totius Diœceseos jurisdictio convenit: *Cap. 7 de Officio Ordinarii in 6.* Vicarii Episcoporum Generales etiam Ordinarii dicuntur: uti in Synod. Palent. an. 1533 *Cap. 1.*, et in Collect. Tarracon. an. 1591 *Lib. 1 Tit. 12 Cap. 1.*: ii enim nullum distinctum constituunt forum, sed quum judicia exercent, ipsammet Episcopi personam, veluti pro Tribunali sedentem, sustinent. *De *Vicario Generali*, ut et de Curia Episc. *Promotore* (vulgo *Fiscal*) actum est tom. 1 pagg. 217-21.*—Non dissimili ratione Sedis Apostolicæ Legati etiam ordinarii censentur: licet enim eis auctoritas ex speciali R. Pontificis delegatione sit impertita; attamen, quia *immediate* Pontificis gerunt vices, universamque exercent jurisdictionem, Ordinarii adpellari consueverunt.

Igitur Judex Delegatus ab Ordinario distinguitur, tum quod jurisdictionem neque propriam habet, neque suo nomine exercet, tum vero præcipue, quod munus suum alteri demandare nequit; nisi tamen sit delegatus à Papa: *Capit. 27 de Officio, et Potest. Judic. Deleg.; et Leg. 19 Tit. 4 Partit. 5.*—*V. quæ de *Delegatis* l. 1 pag. 168 indicavimus.*

Restat ut paucis complectamur, quamnam personæ vel à natura, vel à jure Judicis munus suscipere, aut exercere vetentur. Ac à jure Judices agere nequeunt Fœminæ, quippe quæ ratione sexus incapaces sunt jurisdictionis: *Leg. 2 Dig. de Reg. Juris; Leg. 4 Tit. 4 Partit. 5*, ac *Leg. 4 Tit. 1 Lib. 11 Novis. Compilat.*

Excipe Reginas, quæ ratione eminentis dignitatis, qua pollent, in Regnis, ubi hujusmodi invaluit consuetudo, jus dicere non vetantur: *Cap. 4 de Arbitris.* Neque Hispaniarum legibus vetantur Illustres fœminæ judicia agere, dum tamen sapientis viri consilium sibi adsciscant: *Leg. 4 Tit. 4 Partit. 5.*—Quin et Abbatisse aliquæ, uti est illa celebris Monasterii *de las Huelgas* prope *Burgos* in Hispania, vel ex consuetudine, vel ex privilegio jurisdictionem, non modo in suas Canonicas, vel Sanctimonialia exercent, verum et in Clericos sibi subjectos: quos etiam ab officio, et beneficio suspendere possunt: *Cap. 12 de Majoritate, et Obedientia.* Excommunicationis vero censuram infligere vetantur: excommunicandi enim potestas, clavium Ecclesiæ est, quæ fœminis traditæ non sunt. Eadem ratione suspensio, qua de loquitur, indicatum *Capit. 12*, neque veri nominis suspensio intelligenda est, quæ æque ac excommunicatio clavium potestatem requirit, sed simplex prohibitio celebrandi divina, fructuumque subtractio.—*De *Abbatissa Hisp. Monasterii de las Huelgas* v. l. 1 pag. 355.*

Ex Juris præscripto, à Judicis quoque dignitate arcentur Servi, et quidem quod ratione conditionis jure civili pro mortuis habentur: *Leg. 209 Dig. de Reg. Juris; Leg. 4 Tit. 4 Partit. 5*, et *Leg. 5 Tit. 1 Lib. 11 Novis. Compilat.* Tum etiam omnes Infames *Can. 1. et 11 Caus. 5 Q. 7; præf. Leg. 4 Tit. 4 Partit. 5*, et *Leg. 4 Tit. 1 Lib. 11 ejusd. Compil.* Quinimmo non modo qui ob crimen aliquod damnati fuerint, verum et qui famosum aliquod admiserint scelus, quod notorium sit, Judices dari nequeunt *Leg. un. Cod. de Infamibus.* Unde Hæretici, Schismatici, Excommunicati, non modo Judicis officium suscipere, verum et susceptum exercere vetantur, *Can. 57 Caus. 24 Q. 1; Cap. 15 §. 5 de Hæreticis.* In nostra Hispania neque hæretici, ut vocant, *Reconciliati*, neque filii eorum, qui ob idem cri-

men capite damnati sunt, usque ad secundam lineam paternam, et primam maternam, Judicis officium agere possunt; *Leg. 5 Tit. 3 Lib. 12 Novis. Compilat.* Immo æque Judæi, uti decrevit *Reccaredus* in Conc. Tolet. III *Can. 14*, et *Sisenandus* in Tolet. IV *Can. 65* alias 64, et *Alphonsus Sapiens* *Leg. 5 Tit. 24 Partit. 7.* Id tamen est animadvertendum ex Bulla Martini V *Ad evitandum*, excommunicatum jurisdictione non orbari, nisi fuerit denunciatus, vel publicus Clerici percussor. Adhæc et Illitterati: Judici enim ad Legum, Canonumque normam sententia proferenda est: *Can. 4 §. 1 Caus. 5 Q. 7.* Videsis *Lib. 1 Tit. 10 Cap. 4 Collect. Tarracon. an. 1591*, et *Leg. 5 Tit. 2 Lib. 5 Novis. Compilat.* Unde Jure nostro Regio cautum est, ne quis Judex instituat, qui decem publici Juris studii annos non peregerit: *Leg. 6 Tit. 1 Lib. 11 ibid.*—(*Advocati titulus pro nominatione in Judicem necessarius est.*)—Et Syn. Trident. *Sess. 24 Ref. Cap. 16* decrevit, ut eligendus in Vicarium Generalem sit laurea Juris donatus, vel aliunde idoneus judicetur. Id quod confirmavit Syn. Tarrac. an. 1591 in *Collect. Lib. 1 Tit. 10 Can. 4.* Postremo à Judicis munere arcentur Regulares, quorum est solitaria vitam agere, et à fori contentionibus prorsus sejunctam: *Leg. 4 Tit. 4 Partit. 5.*

Ab natura demum Judices, agere nequeunt Surdi, Muti, Furiosi, Mentecapti, Impuberes: *Leg. 4 ibid.; Leg. 4 Tit. 1 Lib. 11 Novis. Compil.* Videsis *Gonzalezium* ad *Cap. 15 de Rescriptis.* At si de Minoribus quæras; aliud Jure Civili, aliud vero Jure Canonico obtinet. Jure enim Civili quicumque 18 annum explevit, potest Judex constitui: Jure tamen hodierno Hispano viginti et sex annorum ætas ad minus in Judice requiritur: *Leg. 6 Tit. 1 Lib. 11 Novis. Compil.* At Jure Canonico nonnisi vigesimo anno expleto potest quis judicem agere: *Cap. 41 de Offic. et Potest. Judicis Delegati*, Tantummodo ex partium consensu poterit Judex eligi is, qui quamquam 20 annum non per tegerit, 18 tamen jam compleverit: *indicato Cap. 41.*

Judici, uti modo inuimus, non pro libitu, sed ad legum, Canonumque normam sententia est proferenda: quippe qui legum minister est, non arbiter: et cavere debet, ne vel ob juris imperitiam, vel quia partium studiis addictus, vel quia dona acceperit, aliter judicet, quam legibus, aut moribus est proditum: *Leg. 45 Cod. de Sent. et Interloc.* Unde in *Novell. 126, cap. 1.* jubentur Judices ex legum præscripto suffragium dare. Et *Augustinus* in *Lib. de vera Relig. cap. 51*: *Quum fuerint leges institutæ, et firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.* Potest sane Judex verba Legis, si duriora videantur, æquitate quadam flectere, ut legislatoris voluntatem custodiat: quinimmo id facere jubetur: *Leg. 18 Dig. de Legibus.* At ubi et verba legis sunt perspicua, et Legislatoris mens pateat, ab ipsa lege ne latum quidem unguem judici est recedendum.

At quid si judici liquido constet, falsitate aliqua, vel testium, vel instrumentorum, bonam causam lædi? Erit ne excusatus in foro animæ, ubi secundum adlegata, et probata eum condemnat, quem secundum privatam scientiam scit esse innocentem? Ita docuerunt quamplures ex Canonistis. Verum tutius aliis videtur, quorum sententiæ nostrum calculum addimus, ita ex actis, et probatis judicem judicare debere, ut tamen nunquam judicet contra conscientiam. Quis enim secundum ea, quæ probantur, judicare unquam quiverit, qui judicavit contra conscientiam? Profecto *probare* Latini tantum est, ac *fidem facere.* Cui autem fides facienda, nisi Judici? Huic enim eorum, quæ adlegantur, examen mandat est, et quidem ea conditione, ut ex animi sententia decernat: *Lege 5 §. 2 Dig. de Testibus; et prout religio suggerit: Lege 79 Dig. de Judiciis.* Jam vero, si ea,

quæ adlegantur, pugnent cum scientia Judicis, fidem Judici facere non poterunt, quum falsa sint; et religione, metuque justissimi Numinis, prohibebitur secundum ea judicare. Una enim, et simplex est veritas: ac proinde dividi conscientia, aut scientia Judicis in publicam, ac privatam non debet. Igitur divino, humanoque juri magis consentaneum videtur, ut si Judex talis sit, à quo nulla detur provocatio, in quæstione facti ex animi sui sententia, religione, et conscientia pronuntiet, veritatemque adserat, spretis testimoniis, quamvis ipse solus falsa ea esse certo sciat. Sin vero is Judex est, à quo provocari jus sit, satius erit eum à judicando abstinere, et testimonio suo, quantum in se est, causam ejus, cui injuria fit, apud judicem Superiorem adjuvare, ne temere publica testimoniorum spernatur auctoritas, aut aditus patefiat pravis hominibus, qui aliquando studio gratificandi falsum deponant.

Adhæc Judici maxime cavendum est, ne se muneribus, et donis devinci patiatur; *munera enim excæcant oculos sapientum, et mutant verba jurorum*: Deuter. XVI v. 19. Impossibile pæne est, ut judex munusculis inescatus, à partium studio, quod est potentissimus justitiæ inimicus, sit penitus alienus.—Jure nostro Regio, in ejusmodi judices perpetuæ privationis officii pæna, et multa pecuniaria dupla recepto dono majori animadvertitur: *Leg. 7 Tit. 1 Lib. 2 Novis. Compilat.* Hispaniarum quoque Patres munerum receptionem in judicibus quam strictissime inhibitam voluere: Syn. Tarracon. an. 1516 *Can. 10*, et Compostel. anni 1056, *Cap. 5*; sed præsertim Hispal. anni 1512 *Cap. 60*, quæ decernit, aut judices Ecclesiastici non percipiant retributiones directe, nec indirecte pro visione processum, nec decisione illorum. Et Tolet. an. 1582 *Act. 5 Decr. 26* alias 27, quæ antea omnia Legum et Canonum hac in re constituta decreta ita confirmat: *Profanus, sacriscrumpi Legibus interdictum est judicibus omnibus, ne se muneribus corrumpi patiantur, quo liberiores sint ad suum jus cuique tribuendum.*

Verum non ideo interdicta velimus, intelligas, jura illa, quæ cum Ecclesiastici, tum sæculares Judices, quasi in muneris, et laboris compensationem, solent accipere, quam quidem haud recentem consuetudinem probavit Collect. Tarracon. an. 1591 *Lib. 1 Tit. 10 Cap. 2*. Judices tamen Ecclesiastici in juribus percipiendis, omnino servare tenentur taxam in Regno constitutam, vel à Supremo Castellæ Senatu adprobatam: *Leg. 1 et 2 Tit. 15 Lib. 2 Novis. Compilat.*—At sæculares Judices talia jura apud nos non percipiunt; Reg. ordinat. 27 Dec. 1551.

Actor, et *Reus*, de quibus isthic agere opportunum videtur, litigatores sunt, inter quos res agitur, et quorum ille est, qui litem intendit, hic qui excipit. Igitur qui adversarium in jus vocat, Actor dicitur: *Lege 15 et 62 Dig. de Judiciis*. Non secus ac Fœmina, quæ jus suum in foro experitur, *Actrix* dicitur: *Lex 41 Cod. de Liber. caus.* Ast quamquam jure civili neque minor sine tutoris consensu, neque filiusfamilias præter patris voluntatem agere plerumque possit; uterque tamen Jure Canonico in causis beneficiorum, spiritualibus, iisdemque adnexis agere liberrime potest: *Cap. fin de Judiciis in 6*. Monachus sine Abbatis venia agere vetatur, nisi ex peculiari ejusdem facultate extra Monasterium suam vitam traducat. Jus civile nostrum quod spectat, tam Actorum, quam Reorum munia accipere prohibentur filiifamilias absque parentum licentia, nisi pro bonis castrensisibus, vel quasi, aut absente patre: *Leg. 6 Tit. 17 Partit. 4*; uxores sine mariti venia: *Leg. 41 Tit. 1 Lib. 10 Novis. Compilat.*; Regulares præter Superiorum facultatem: *Leg. 10 Tit. 2 Partit. 5*; et viginti quinque annis minores absque auctoritate curatoris: *Leg. 7 et 41 ejusdem Tit et Partit.*

Qui in causis criminalibus adversus aliquem actionem intendit, proprie dicitur accusare: scilicet judiciis criminalibus publicis, vel extraordinariis experiri, crimenque deferre. Quid quod jure canonico *accusare*, et *denuntiare* non unum idemque sunt? Accusat enim, qui reum Judici deferens, ultionem exposcit, et pœnam vult ei infligi: denuntiat vero, qui criminis quidem Episcopo defert, non tamen eum publice puniri amat, sed tantum ejus emendationem quærit ope Episcopalis redargutionis. Quamobrem denuntiationem præcedere semper debet privata, et amica monitio: *Cap. 2 de Accusat.* Adhæc denuntiatio necessum non est, ut in scriptis fiat cum inscriptione actionis, ac nominis denuntiatoris, ad subeundam talionis pœnam, si à congrua criminis probatione deficiat: *Cap. 16 de Accusat.* Quæ omnia accusationem constituunt: *Can. 5 et 4 Caus. 2 Quest. 7*; sed dumtaxat per illam Superiori via sternitur ad inquisitionem, de qua mox. Hic *obiter* adnotandum, pœnam talionis obsolevisse ea de causa, quod homines ab accusando detererent.

Accusatio unius est generis; at denuntiatio in multiplices formas dividitur: ac 1 in *Judicalem*, *Evangelicam*, et *Canonicam*. *Judicialis* dicitur, quæ publico deferatur Judici, non modo ut reus corrigatur, verum etiam ut debita pœna ad publicam utilitatem multetur. Et hæc profecto parum ab ipsa differt accusatione: quare hujusmodi denuntiatori crimen ex parte saltem probandum est, licet pœnam nullam subeat, si in probatione deficiat; nisi apertum infesti calumniatoris animum prodiderit: *Cap. 2 de Calumniat.* *Evangelica* est, quæ unius denuntiatori utilitatem respicit: recte hoc donatur nomine; siquidem per Evangelium præcipitur: *Matth. XVIII v. 15. Canonica* demum dicitur, quum quis, Canonicarum pœnarum metu, aliquid Ecclesiastico Superiori detegit: e. g. alicujus matrimonii impedimenta, ad quæ Episcopo, vel Parocho detegenda quisque per publicas Parochiales proclamationes adigitur: *Cap. 15 de Despons. impub. Trident. Sess. 24 Reform. Matrimonii cap. 1.*

Dividunt rursus Judicalem denuntiationem in *publicam*, et *privatam*. *Publica* est, quam Episcopus in Synodo Diœcesana peculiarem constituit ministrum ad inquirendum in crimina Diœceseos, qui ea sibi in futura Synodo deferat, ut criminosos corrigere, ac punire possit: *Cap. 25 de Accusat.* Hanc Lateranensis Concilii sub Innocentio III Constitutionem, quæ de ministrorum electione in Provincialibus Synodis tantum loquitur, ad uniuscujusque Episcopi Diœceseos indixerunt Hispaniarum Patres, quos ministros, nomine *Synodalium Testium* designabant: Conc. Arand. ad Dur. an. 1475 *can. 29*, • Statuimus, ait, ut per nos, et Suffraganeos nostros Viri providi, fideles, et honesti deputentur ultra provinciales testes per nos, et Coepiscopos nostros in Conciliis designandos, qui sine judiciali cognitione sollicite inquirent per easdem Diœceses, quæ viderint corrigenda, et reformanda, eaque fideliter Diœcesanis denuntient. • Consonant duæ Synodi Tolet. an. 1565, *Act. 5 cap. 28*, et an. 1582, *Act. 5 Decret. 50* alias 52. *Privata* dicitur, quum quis alterius crimine læsus, veluti perjurio, violato fœdere etc. prius infestum hominem monet; dein, ubi nihil privata monita proficere persentiscat, Episcopo illum denuntiat: *cap. 15 de Judiciis.*

Quum Judicialis denuntiatio parum ab accusatione differat, quotquot jus ab accusatione non prohibet, idem et denuntiare recte poterunt Sed non omnium accusatio indiscriminatim recipitur; accusare enim jure vetantur infames, criminosi, pupilli, mulieres etc. *leg. 2 tit. 1 Partit. 2*. At de his opportunius in *Institutionibus Civilibus*. Jus nostrum quod peculiariter spectat, criminalem actionem intendere Clerici, et Monachi vetantur, nisi inju-

riam sibi illatam ulcisci velint; at simul contestentur se ab sanguinis pena prorsus esse alienos: cap. 2 *de Homicid.* in 6. Vetatur ex diverso laicus Clericum accusare, ob reverentiam eorum dignitati debitam: can. 1 et 2 *Caus. 2 Quæst. 7.* ni et laicus injuriam sibi, suisque illatam persequatur: cap. 14 *de Testibus.* Vetantur quoque Fiscales, nisi prævia delatione, aliquem accusare, exceptis criminibus notoriis, vel in quibus de mandato Principis inquisitio præcesserit: leg. 1 tit. 53 lib. 12 *Novis. Compilat.*, Id quod confirmatur Syn. Tolet. an. 1565 *Act. 2 cap. 12.*, et Compostel. ejusd. anni *Act. 3 Decret. 25.*

Sunt tamen atrociora quædam crimina, ad quæ deferenda etiam alias non idonei admittuntur: uti Sacrilegium: Leg. 10 *Cod. de Episcop. et Cleric.* Delicta læsæ Majestatis: Leg. 7, et 8 *Dig. ad Leg. Jul. Majest.*, et Syn. Tolet. VI can. 11; Simonia: Cap. 7 *de Simonia*: Incestus: Leg. 2 Tit. 48 Partit. 7; Apostasia: Leg. 7 Tit. 25 *ejusd.*: Hæresis: Leg. 2 Tit. 26 *ibid.*: Raptus, si propinqui mulieris accusare noluerint: Leg. 2 Tit. 20 ead. Sodomia: Leg. 2 Tit. 21 *ejusd.* Lenocinium: Leg. 2 Tit. 22 ead. Magia: Leg. 3 Tit. 23 *ibid.*

Adhuc est et tertia in causis criminalibus procedendi ratio, scilicet *per Inquisitionem.* Nimirum ubi Judex, nullo accusante, vel judicialiter denunciante, in crimen aliquod ex officio inquirat, tunc *per Inquisitionem* procedere dicitur. Porro uti Accusationem inscriptio, Denuntiationem benevola monitio, ita Inquisitionem præcedere debet clamosa insinuatio: fama scilicet, seu publicus rumor, et is non levis, qui facinorosum Judici veluti denunciare videatur: Cap. 21 §. 1, Cap. 24 *de Accusat.* et Cap. 51 *de Simonia.* Atqui hoc de speciali dumtaxat Inquisitione intelligas; nempe ubi contra certam personam certo quodam de crimine Inquisitio instituat: *dicto Cap. 24 de Accusat.* et Leg. 15 *Dig. de Offic. Præs.* Est enim et Inquisitio Generalis, qua scilicet Præsides inquirunt, num in sua Provincia sint homines facinorosi: *dicta Leg. 15, et Cap. 24 de Accusat.* Est demum et Inquisitio mixta: scilicet, quum homine quodam occiso, Judex in homicidam inquirat; vel quum de certa aliqua persona generatim inquiratur, num crimen aliquod perpetraverit; veluti ubi quis ad publicum quoddam munus, vel dignitatem est promovendus: Cap. 7, et 19 *de Elect.*—In nostro Regno, Judices licet possint ex officio Inquisitionem quorumlibet criminum instituere: leg. 12 tit. 54 lib. 12 *Novis. Comp.*; attamen vetantur generalem Inquisitionem, et clausam adversus Civitatem, Villam, vel Locum facere, nisi de mandato Regis id præstiterint: Leg. 5 *ejusd.* Tit. et Lib. tuncque ad ipsum processum transmitti debet, ut examen eorum, quæ in Inquisitione continentur, quos elegerit, suscipiant: Leg. 4 *ejusd.* Insuper vetitum est Judicibus ne Inquisitionem Alguacellis, et Notariis committant; sed ut per se ipsos, quum opus fuerit, munus hoc diligenter exerceant: leg. 8 eod.

Antiquitus tam qui agebat, sive petebat, quam qui accusabatur, sive in quem agebatur, *Rei* adpellabantur: unde Cicero Lib. 2 de Orat. *Reos adpello, non eos modo qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur.* Et Festus lib. 5. *Contestari est, quum uterque reus dicit: Testes estote.* Vulgo tamen usu nunc obtinet, ut sienti qui agit Actor dicitur, ita is solus, cum quo agitur, Reus dicatur, et quidem *per excellentiam*, quia de re ejus præcipue judicio agitur, vel cui solum periculum imminet condemnationis.

Reus, ubi legitime à Judice interrogetur, in causa æque civili, ac criminali, num teneatur veritatem fateri, quæstio est jamdiu in Scholis agitata. Verum sanioris doctrinæ Theologi, et Canonistæ, cum S. Thoma *Secunda Secundæ Q. 69 art. 1* docent, ejusmodi reum veritatem dicere, proprium-

quæ crimen prodere omnino teneri; sin secus, graviter peccare. Porro si Judex non legitime interrogat, veluti quum interrogat de crimine occulto, reus veritatem fateri non adigitur; *sed potest vel per adpellationem, vel aliter licite subterfugere:* S. Thomas *ibid.*

Præcipui Curia Episcopalis Administræ, præter Vicarium generalem et Promotorem, sunt Adessor, et Scribæ, seu Graphiarii.

Adessor, ita dictus ex eo, quod Magistratui pro tribunali sedenti veluti *adsideret*, et in causis discutiendis suo consilio eum dirigeret; unde etiam *Consiliarius* adpellari consuevit: leg. 5 *Dig. de Offic. Adsess.* Quum enim Magistratus jurisprudentiam profiteri non necessario debuisset; indigebat sane opera juris periti, qui sua prudentia, et consilio eum in Judiciis ferendis veluti manuduceret, atque ita recte munus suum obiret: leg. 2 *Dig. Quod quisque juris in alter. statuer.*

Magistratum civilium exemplo permoti, cœperunt et ipsi Prælati Ecclesiastici, qui jure ordinario, vel delegato judicandi potestate fruerentur, in causarum cognitione sibi Adessores adsciscere; tunc præsertim quum forensis judiciaria methodus in Curias Ecclesiasticas inducta est: Syn. Cantuar. Can. 27. At quia Judices non raro, nec sine contententium partium gravamine, Adessores, ac etiam plures sibi adjungere consueverint; hinc Bonifac. VIII Cap. 11 §. *Adessorem de Rescriptis in 6* sanxit, ut Judex *Adessorem* (ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter) nisi eo indigeat, quod conscientia relinquatur ejusdem, sibi nequaquam adjungat: alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat... faciat à partibus communiter provideri.—In nostris Ecclesiasticis Tribunalibus exolevit jamdiu Adessoris munus, quum ex Tridentini, et nostrorum Conciliorum præscripto, in Vicarium Generalem eligendus non sit, nisi qui Doctor, vel Licentiatu fuerit in Jure Canonico, vel alioqui idoneus censeatur: Collect. Tarracon. an. 1591 lib. 1 tit. 10 cap. 4.

Concilium Lateranense IV can. 53, relato in cap. 11 *de Probationibus,* Ecclesiasticis Judicibus præcipit, ut *tam in ordinario, quam in extraordinario judicio, semper vel publicam personam, vel duos idoneos viros adhiberent, qui fideli manu omnia judicii acta exscriberent.*

Persona publica, cujus hæc Decretalis meminit, non alia profecto est ab illa, quam Romani Cancellarium, lege 5 et 8 *Cod. de Adessoribus,* nos *Scribam,* et *Graphiarium* dicimus, cujus proprium munus est, *universa judicii acta conscribere:* videlicet citationes, dilationes, exceptiones, sententias, sive definitivas, sive interlocutorias etc. et reliqua omnia, quæ tam ad officii, quam partium instantiam expediuntur, sub data illius diei, quo decreta, mandata, aut facta fuerint; eademque fideliter, diligenterque in tabulariis, sive Archivis adservare, ut ex iis semper veritas depromi queat: *dicto cap. 11.* Quum vero in Archivis deposita erunt, Custodis Archiviorum partes erunt illa custodire, nec ulli traderè, qui prius facultatem in scriptis ab Vicario non impetrarit: II Syn. Prov. Neap. tit. 12 cap. 2. Nec ipsa Autographa inde extrahere, idque sub excommunicationis pena imposita in præf. Collect. Tarracon. lib. 2 Tit. 5 cap. 2.

Quæ quum ita sint, viri fidelitatis quantæ maximæ Graphiarii sint oportet, non modo ut munere suo recte, fideliterque fungantur, verum etiam ut in exigendis salariis metam rationis non excedant; quæ de re graviter conqueritur Bonifacius VIII cap. 11 *de Rescriptis* §. 6 in 6.

In Hispania Scribæ, seu Notarii conscribendis, vel notandis Curia Ecclesiasticæ Actibus deputandi, pluribus debent esse præditi qualitatibus; præsertim vero qui Majores, seu Numerarii nuncupantur ex Pragm. Sanct. Caro-

li III an. 1770, relata in leg. 6 tit. 14 lib. 2 *Novis. Compilat.*— V. Reg. ordin. 3 Ap. 1844.*

1. Summa rerum gerendarum notitia: quo circa eligendi, quatuor saltem annos in hujusmodi munere exercitati, accuratissimum aliorum Notariorum examen coram Vicario Generali, et tribus quibusque annis ab Ecclesiastico Visitatore disquisitionem subire tenentur, quod jamdiu constituerant præf. Syn. Tolet. Act. 2 Ref. cap. 17, et Compostel. Act. 5 Decr. 26, et intra duos ab electione menses publicorum Scribarum titulum à Supr. Castellæ Senatui obtinere debent.

2. Morum gravitate, et prudentia: unde eos oportet esse viginti quinque ætatis annos majores, ut innuit quoque ead. Synod. Compostel. Act. 5 Decr. 29, quæ vigesimum secundum ad minus expetivit.

3. Integritate vitæ: quamobrem priusquam in possessionem inducantur, plenissimum de eorum inculpata vita, et bonis moribus testimonium præcedente inquisitione habendum est, quale requirebat etiam ead. Syn. Compostel. *ibid.* Decr. 26.

4. Regiam Scribis publicis præscriptam taxam prorsus observare jubentur, sicuti olim constitutum erat leg. 1 et 2 tit. 15 lib. 2 *Novis. Compilat.*

Tum 5 in ead. Pragm. Sanct. monentur Episcopi, ut Notariorum Curia, seu Majorum numerum secundum ejusdem Curia negotiorum copiam constituent, sicuti decrevit olim ead. Syn. Tolet. Act. 2 cap. 16; ut omnes quos instituant sint mere laici, uno excepto in Sacris constituto, non Regulari, ad causas criminales Clericorum, quod etiam præscripsit præf. Synod. Compostel. Act. 5 Decret. 25; et ne Notariorum Titulos quasi familiares, vel hæreditarios fieri patiantur. Unde cit. Synod. Tolet. *ibid.* cap. 15, eos vendi, aut locari prohibuit; ita ut quum vacaverint, *provideri libera voluntate* ab Episcopo possint: Syn. Compostel. eod. Decr. 25.

Præterea 6 alios Notarios Ecclesiasticos, Curia Episcopali non addictos, ad eum quoque numerum reducendos voluit Pragm. Sanctio, qui necessarius in Diœcesi existimetur, nullumque in horum numerum recensendum, nisi qui viginti quinque ætatis annos impleverit, qui quatuor in *Practica*, ut vocant, transegerit, et qui ex accuratissimo duorum Notariorum Majorum examine deprehensus fuerit idoneus, sicuti antea decreverat Syn. Hispal. an. 1512 *Capit. 44*, atque adeo Ecclesiasticorum Visitorum disquisitioni per triennium subjiciantur. Ipsis etiam, Majoribusque interdictum est, officium suum in causis temporalibus laicorum exercere, ad præscriptum leg. 2 et 3 ejus tit. 14.

7. Demum et Notarii minores, seu Ordinarii taxam Scribis Regiis constitutam observent, et à se conscripta Acta Majori Curia Notario custodienda tradant; id adjiciens Collect. Tarracon. lib. 2 tit. 5 cap. 1, quod Notarii instrumenta in *Protocollo*, ut ajunt, referenda ad longum, et non per summa capita conscripta exhibeant. Hinc colligas necesse est, Carolum Regem nostrum non aliam in hac edenda lege mentem habuisse, quam latas à Conciliis nostris Constitutiones suscitare.

Pro coronide id adjicere lubet, unumquemque ex Episcopalis Curia Administris in id incumbere oportere, ut dilucidè omnia, et juxta æquitatis, et rationis limites, omni posthabita personarum acceptione, expediantur, ne forte in causa sint, quod Ecclesiasticum Tribunal apud pravos homines male audiat. Quocirca Syn. Tolet. *ibid.* cap. 17, cavendis Curia Ecclesiasticæ abusionibus ita constituit: « Vicarii, Provisores, Visitatores, Promotor Fiscalis, et alii quicumque Ecclesiastici, et Ordinarii Tribunalis Metropolitanani, et Episcoporum, et aliorum inferiorum ministri, etiam hi judices, qui ad audien-

das adpellationum causas à Metropolitanis, et aliis Superioribus deputantur, quolibet triennio ab eo, qui per ipsum Metropolitanum in propria, et Episcopus in sua qualibet Diœcesi deputatus fuerit, et electus, interim propria munera exercentes, visitentur omnino, ut ex ea visitatione constare possit vera, et acta publicæ administrationis jurisdictionis, officiorum, et eorumque eorum muneris ratio, atque, is qui male fuerit officio functus, eo privari, et puniri possit, denique à suo Judice, et Episcopo privetur, ac puniatur. » Id ipsum Catholicæ Reges nostri Episcoporum curæ, et sollicitudini commissum voluerunt: leg. 15 tit. 1 lib. 2 citat. *Compilat.*)

4. Est autem jurisdictio vel voluntaria, vel contentiosa (1); illa ex re appellata, quæ in volentes exercetur, ut sit in adpellationibus, in mulierum, minorumve contractibus, in ceteris generis ejusdem. Cuncta hæc geruntur extra judicium, atque inter volentes, et à Magistratu confirmantur, ut eorum rata firma auctoritas sit (2). Contentiosa jurisdictio ex re item dicta, in invitos, et contendentes exercetur, eique locus est in judiciis, quæ in invitos redduntur, et utriusque litigantis contentionem, et disceptationem habent de re controversa.

(1) Hugo DoneMus l. cit. c. 8 §. 7 p. 1124 adjicit etiam mixtam, vel intermediam jurisdictionem, quæ in dandis tutoribus, aut curatoribus versatur; sed tertium hoc jurisdictionis genus inutile esse, observat Scipio Gentilis l. cit. c. 18 p. 45.

(2) Ex iis vero quædam sunt, quæ solam Magistratus auctoritatem, et approbationem, quædam, quæ permissum causa cognita, et uno verbo Magistratus decretum postulant. Cuncta explicat Donellus l. c. §. 9. p. 1126.

5. Judiciorum summa divisio est, ut alia ecclesiastica, alia sæcularia sint. Ecclesiasticum judicium agitur in foro Ecclesiæ, et in eo quæritur de causis ecclesiasticis, sive quod hæc natura sua ecclesiastica sunt, sive quod sunt causæ clericorum. Sæculare judicium est, in quo de rebus mere temporalibus coram laico jure disputatur. Utraque judicia multifariam dividuntur, et primo quidem in possessoria, ac petitoria.

6. Possessorium judicium est, in quo de sola possessione, aut quasi possessione quæritur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. Possessio est rerum corporalium; quasi possessio incorporalium. Petitorium, quod *dominii litem* Juris consultus (1) appellat, est, in quo de proprietate, vel de alio jure seorsim à possessione disputamus. Nam proprietates nihil commune habet cum possessione (2); licet interdum majores quidam judices utramque jungant. Separata autem de possessione quæstio illud efficit, ut eo finito judicio, atque uni data

possessione, victus debeat in petitorio iudicio jus suum ostendere, quod nisi præstiterit, res manebit apud possessorem (3).

- (1) L. 18 ff. de Usuris.
- (2) L. 12 ff. de acquiren. possess.
- (3) §. 4 Instit. de interdict.

7. Dividuntur etiam iudicia in ordinaria, quæ et solemnia, atque in summaria, quæ et extraordinaria appellantur. Ordinaria sunt, in quibus acta omnia, et solemnia, quæ in iudiciis leges præscribunt, observantur, tum in iis, quæ intimam iudicii naturam, tum in iis, quæ solemnitates attingunt. Summaria iudicia sunt, in quibus multiplices illæ solemnitates omittuntur, eaque tantum servantur, quæ sunt ad iudicii naturam, hoc est, ad noscendam veritatem necessaria (1).

(1) Hæc quidem à Jure Civili, et Canonico divisio iudiciorum traditur. Sed Pragmatici in foro iudicia dividunt in ordinaria, summaria, summarissima, executiva. Et summaria quidem, atque ordinaria iudicia in iis, quæ ad ordinem pertinent, apud nos fori usu fere inter se conveniunt.

8. Denique iudicia alia sunt civilia, alia criminalia, quoniam omnia vel distraendarum controversiarum, vel malefactorum puniendorum causa reperta sunt. Civilia pertinent ad privatorum controversias dijudicandas, criminalia vero crimina persequuntur, pœnasque irrogant vindices secleris, et violatæ publicæ tranquillitatis.

9. Iudiciales disceptationes ordine noscendæ, expediendæque sunt, quoniam ex inordinata rerum ratione oritur confusio, quæ jura potius obscurat, quam explicat litigantium. Ordo hic iudicium etiam dicitur, et passim processus appellatur. Est autem compositio rerum aptis, et accomodatis locis, ut procul sit confusio, et perturbatio, noscatur veritas, ac suum cuique tribuatur. Et sane iudiciarius ordo à legibus est constitutus, quem iudicem ita dirigere, et moderari oportet, ut litigantes in recta justitiæ semita insistant (1); qua in re nihil pro arbitrio, sed omnia canonum, legumque auctoritate agenda sunt.

(1) Cap. 49 de iudic., cap. 22 de Accusation.

TITULUS III.

DE PROCURATORIBUS.

1. QUIS PROCURATOR? PLURES PROCURATORUM SPECIES.—2. TAM UNUS, QUAM PLURES PROCURATORES CONSTITUUNTUR.—3. QUI PROCURATORES ESSE POSSINT?—4. IN QUIBUS CAUSIS ADHIREANTUR? 5. QUOMODO OFFICIUM PROCURATORIS EXPIRET?—6. SYNDICI UNIVERSITATUM PROCURATORES SUNT.—7. IN QUIBUS SYNDICI DIFFERANT A PROCURATORIBUS PRIVATORUM?

1.

JUDICIA aut per nosmetipsos, aut per procuratores exercemus. Procurator, quem *alieni juris vicarium* eleganter Cicero appellat (1), ab Ulpiano definitur, qui aliena negotia mandato domini administrat (2). Constituitur vel ut certum negotium espediat, vel ut omnia gerat, et curet; hic generalis, ille autem specialis appellatur. Rursus procurator judicialis est, si alienam litem iudicio persequitur, extrajudicialis, si aliena negotia extra iudicium conficit. Generalis procurator tum judicialibus, tum extrajudicialibus rebus præpositus intelligitur, non tamen iis, quæ speciale mandatum requirunt (3). Datus autem cum libera administratione, omnia fere potest, quæ ipse dominus, et ideo quamquam donare nequeat (4), tamen res domini alienare potest, non solum cum id necessitas, sed etiam cum utilitas mandantis postulat (5). Sine hac libera administrationis potestate, generalis procurator recte distrahit tantum fructus, et cetera, quæ facile corrumpuntur (6).

- (1) Cicero pro A. Cæcina n. 20 opp. t. 4. p. 629 ed. Genevæ 1744.
- (2) L. 1 ff. de Procurat.
- (3) Cap. 5. de Procurat. in 6.—V. leg. 45, 46, 49 tit. 5 Partitæ 3.
- (4) Donare enim potius est perdere, quam administrare: l. 28 §. ult. ff. de pactis, l. 7 §. 5 ff. de Donation.
- (5) L. 60 §. Lucius ff. Mandat., l. 58 ff. de procurat. l. 9 §. 4 ff. de Acquirend. domin. §. 45. Inst. de rer. divis.
- (6) L. 65 ff. de Procurator. Confer Voetum in Pandect. l. 5 tit. 5 §. 7.

2. Procurator interdum unus, interdum plures, iique aut conjunctim, aut in solidum constituuntur. Ubi conjunctim, et eodem tempore omnes constituti sunt, alter sine altero nihil agere potest, exceptis causis electionum, postulationum, provisionum, aliorumque ecclesiasticorum negotiorum, in quibus unus ex